

spectu praesentis Christi neque, quid mali sit, in priuata missa facile isti ostendere poterunt. Nam sacerdos communicat, populus dicit preces, et non putatur referre siue multi siue pauci sint, qui sumant. Ex tali igitur fomite pingi et propagari potest illa horribilis idolomania, qua tot saeculis Filius Dei affectus est contumelia inenarrabili, de qua ita ardentem querebatur saepe illa dulcis et beata anima Philippus, cum genas suas vbertim piis lachrymis rigaret et dicere soleret, nunquam satisfieri posse suo dolori, quem multis annis secum circumferret propter hoc [71:] graue vulnus de profanatione sacrae coenae, non solum apud hostes veritatis, sed etiam in illo coetu, qui habet nomen ecclesiae.<sup>208</sup> Obtestamur enim omnes, qui amant gloriam Christi, circumspiciant, quid fiat etiam in ecclesiis emendatis. Monetur populus et recte, vt frequens sit vsus coenae, sed profecto interea plurimi plane profani accedunt tantum ex consuetudine prorsus cogitantes, quid agatur. Alij etiam mouentur metu poenarum aut infamiae, vt imitentur exempla aliorum, etsi sunt sine poenitentia. Plurimi etiam, qui pie et recte sentire videntur, in sua conscientia signis alligationem aliquam quasi physicam iustificationis et opinionem meriti assuunt, et quamuis laudamus eam consuetudinem, quod etiam priuatim ad aegrotos defertur sacra coena. Nam non solum publicae congregationis neruus est, sed primo et principaliter κοινωvία Christi et sumentis et extant in hoc casu exempla vetustatis. Tamen non probanda est haec opinio nata ex merito, quasi ille, qui forte expirauit non percepta coena, membrum Christi non fuerit, cum recte dictum sit a veteribus: „Crede et manducasti.“<sup>209</sup> Item: Non priuatio, sed contemptus sacramentorum damnat. Hae certe sunt profanationes sacri huius mysterij, sed alia sunt grauiora. Examinet quilibet suam conscientiam, annon vel haeserit vel haereat in tali cogitatione, quando recitantur verba institutionis vel consecrationis vt nominant illa verborum pronuntiatione quasi tremenda fieri mutationem panis et iam verum corpus Christi essentialiter praesens esse, perinde sicut voce Mosis baculus vertebatur in serpentem. Assuefacti sumus ad illam sententiam a teneris, ideo ea etiam a doctis non facile exiit. Populus vero, qui stupidior est, nullo modo intelligit symbola ea omnem suam seruare naturam, nec sacerdotem facere mutationem panis, interea vero in corde sumentis efficacem esse Filium Dei. Sed auribus et oculis haeret in panis intuitu, illum veneratur animo, gestu et adoratione. Scio hanc oratio-[72:]nem multis esse ingratam, quia natura nobis suaues sunt veteres ritus, sed cum extet seuerissimum mandatum primi praecepti, vt fugiamus idola, illudque anteponendum sit omnibus rebus humanis, cur non opera datur, vt omnis occasio idololatriae praeci-datur?

<sup>208</sup> Melanchthons persönlicher Schmerz über die Verachtung und Schmähung des Abendmahls wurde mündlich im Kreis seiner Schüler überliefert. Vgl. zur Sache: Philipp Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 869–871 (MWA 2/2, 530,10–532,38).

<sup>209</sup> Augustin, In Iohannis euangelium tractatus XXV, 12, in: PL 35, 1602 (CChr.SL 36, 254,9).